XVIII-B-3(1)
1533

N,11-349(11)

Chy Water

De

Phlegitis

Vita et Mortis

Tillet 1183.

BCS
LAUG
F
31
Biblioteca Civica
Saluzzo

CITTÀ DI SALUZZO

iblioteca N.

DONO

del fu dott. Tommaso Lauge

LAUG.F 31

N.° d' inventario 1533

CHR. VATER

DE

PRAESAGIIS VITAE ET MORTIS.

Iterum edidit, auxit

S. A. D. TISSOT

BIBLIOTECA CIVICA
XVIII·g·3 (1
SALUZZO

PAPIAE MDCCLXXXIII.

Typis R. I. Monasterii S. Salvatoris

Superiorum permissu.

Praesagiis diligenter incumbendum, quia ab omni mortis culpa Medicum reddunt immunem, & aegros ad obtemperandum faciles, occasionemque remediorum praemonstrant.

Hippocr. prognost. praef.

AUDITORIBUS SUIS
S. A. D. TISSOT.

Antequam aegros in Nosocomio clinico simul adiremus A. O. necessarium credidi ut vobis nonnulla,

nulla, de praesagiis vitae & mortis in morbis, exponerem; & cum in promptu esset Dissertatio VATERI (a) *de hoc argumento,*

quâ

(*a*) Titulus operis est Christ. Frider *KNOT* Dissertatio inauguralis medica de praesagiis vitae & mortis in aegrotantibus, Wittembergae 1708. Praeside Christ. *VATERO*. Nullum vero dubium est quin verus auctor sit praeses. Chr. *VATERUS* autem vir erat egregius, a labente iam saeculo elapso, ad annum usque 1732. quo senio occubuit, Wittembergae Medicinae Professor. anno 1701. *physiologiam experimentalem*, optimam omnium ante summi Boërhaavii institutiones conscripserat, & perplures etiam, non contemnendas, dissertationes Academicas. Fi-

lium

quâ meliorem, quae tot res tam paucis verbis haberet, conſcribere poſſe minimè ſperarem, e cathedrâ legendam eſſe duxi; audita vobis perplacuit, & veſtrum quiſque illam ſibi, deinceps iterum legendam, comparare cupivit; cum

---

lium reliquit Abrah. *Vaterum* Ruiſchii diſcipulum, nec infimae notae anatomicum, botanicum etiam, & qui hanc quoque laudem meretur quod primus fuerit Medicus, cis Angliam, qui anno iam 1720. variolarum inoculationem commendaverit; anno 1752., Wittembergae, loco patris, profeſſor, obiit.

cum vero nullibi venales inve-
niantur parvae illae dissertatio-
nes Academicae, praesertim tot
iam retrò annos publicatae, ut
legitimo vestro desiderio satisfie-
ret, illam praelo iterum committi
curavi ea quoque pauca addendo
quae, legendo, addideram. Be-
nevoli ergo, EGREGII VERE' IU-
VENES, *levissimum accipite do-*
num, quod vobis pignus erit &
voluptatis qua fruerer si vestra
medica studia promovere pos-
sem,

ſem, & amicitiae quam vobis pluribus vovi titulis; nunquam enim dediſcam, laetus ſaepe mente refricabo, veſtram aſſiduitatem, veſtram attentionem, veſtram diligentiam, veſtram perpetuam mecum urbanitatem demum; nec unquam ſane invenire potuiſſem gratiores mihi auditores, quos inter perplures Medicinae ditandae certò nati ſunt, de quibus quondam, ubi illorum nomina ad exteras regiones deferet

feret fama, iactabundus dicam, illos olim dilectos discipulos habui. Valete & " Dulcis patriae „ spes, adolescite in publicam „ felicitatem, cuius magna pars „ sunt prudentes Medici. „

PRAE-

PRAEFATIO.

Pulchrum quidem & e dignitate Medici eſt, in aegrotantibus morborum ingruentium eventus, ſive bonos, ſive malos, ſalutem vel mortem, longitudinem vel brevitatem, modosque eventus praedicere; aſt indecorum valde & temerarium prorsus eſt, promiſſam ſanitatem non ſervare, aut praedictam mortem non evenire. Nihilo ſecius ea praedicendi ratio non minus Medicis, quam aegrotis summe neceſſaria & ſalutaris eſt. His quidem, ut de periculo, vel ſalute prognoſticon audientes eo magis Medici praeceptis obediant, ac exinde eo citius & certius priſtinam ſanitatem recupe-

rare ſtudeant; illis vero, ut praeviſis ex arte periculis & symptomatibus debitis remediis occurrant; aut ſi eventus anceps videtur, se suamque curam debito prognoſtico munire queant. Sed haec omnia satis diiudicare & praevidere, ingens opus & labor eſt, nec, niſi morborum omnium quoad subiecta, cauſſas modosque laedendi accurata prorsus indagatione, aegrorumque ipsorum frequenti viſitatione, & inspectione, addiscitur. His autem subſidiis inſtructus Medicus, circumſtantias, & ſigna prius omnia, tam antecedentia, quam concomitantia & consequentia prudenter coniungit: observato uno vel altero malo ſigno, non ſtatim desperat; neque bono, niſi reliquis circumſtantiis consentientibus, nimium fidit. Sed, ubi contraria & minus evidentia concurrunt, non niſi a potioribus concludit, & tantum sub certis conditionibus aliquid certi

ti promittit; nempe, nisi aliud quid contrarii supervenerit; si reliqua fuerint paria; si aegri & adstantes suum quoque fecerint officium & sic porro. Qua ratione sane eos vel minimum errare & in multis, si non semper infallibiliter, probabiliter tamen satis praedicere oportet; quam laudem post Hippocratem sibi maxime vindicavit Galenus, & illustribus adeo exemplis demonstravit, ut tum temporis non solum a medicae artis ignaris, sed etiam peritissimis Medicis & Philosophis divinis plane honoribus & laudibus dignus iudicatus fuerit. Et hinc quoque ex re mea existimavi, si loco speciminis inauguralis, & consensu Gratiosissimi Ordinis Medicorum, ad impetrandum Doctorum iura & privilegia, potiora eiusmodi Prognostica ratione salutis vel mortis indaganda, & cum eruditorum collatione ventilanda mihi sume-

rem (*a*). Benedicat, in cuius solius manu vita salusque noſtra conſiſtit, ter Optimus, Maximus, conatibus, ut cedant in ipſius gloriam & proximi emolumentum.

CAP.

(*a*) (Utilis eſt ſane hic libellus, ſed multum abeſt quin integrae prognoſeos doctrinae addiscendae ſufficiat. Legendi, relegendi ſunt ipſi libelli aphoriſtici Hippocratis, illi praeſertim, quos perpulchris notis illuſtravit Celeb. Paſta; & ſaepius inprimis legendus aureus verè liber Proſperi Alpini de vita & morte praeſagienda, qui in hac parte princeps eſt ſane Auctor, poſteris ab ipſo Boerhaavio valde commendatus. Additiones Editoris inter haec duo ſigna ( ) concluduntur.)

CAP. I.

De

Praesagiis ab ipsis morbis petitis.

§. I. *Praesagia Vitae & Mortis unde petenda.*

Tria quidem potissimum sunt, quae a Medicis suis praedici volunt aegrotantes aeque ac adstantes, nimirum, an illi ex morbo isto, quo decumbunt, evasuri sint, nec ne? Deinde quo tempore, demum quo modo evadent, vel morientur? Mihi vero in praesenti tantum de prioribus signis sermo erit, reliquis in aliud tempus reservatis. Illa autem omnium optime petuntur vel a natura ipsorum morborum, eorundemque subiectis caussis & gradibus; vel ab ipsius corporis, in quod morbus tanquam hostis infensissimus agit, & cuius destructionem molitur, robore & viribus; in specie ab actionibus tam vitalibus quam animalibus, magis vel minus integris aut laesis; vel denique & maioris certitudinis caussa ab excretis & retentis,

nec non iuvantibus & nocentibus; quae omnia, ſi probe conſiderentur, & inter ſe conferantur, non poſſunt, quin Medicum de eventu quocunque fideliter moneant. (Et ſane, ut iam clare indicavit Hippocrates, fundamentum omnis prognoſeos eſt attenta & circumſpecta conſideratio virium & roboris naturae in aegrotante, ac morbi ipſius magnitudinis & violentiae; & utriuſque diligens aeſtimatio, & mutua collatio, ut ſic appareat, quodnam ex his praevaliturum ſit).

§. II. *A natura ipſius morbi.*

Ita ratio ipſa ſuadet, quod, quo gravior & a violentis magis cauſſis quilibet morbus oritur, eo plus periculi, triſtemque saepius eventum habeat, & contra. Hinc periculoſiores ſemper ſunt morbi acuti, quam chronici, maligni, quam benigni, continui, quam periodici, contagioſi & venenati, quam non contagioſi, aetati & temperamento minus congrui, quam congrui, & ſic porro, modo caetera fuerint paria. Sane quaevis lae-

laesiones & vulnera, etiam si partium nobiliorum, cerebri nempe, pulmonum, hepatis, lienis, ventriculi, intestinorum, vesicae, renum, diaphragmatis, aliarumque, per se & absolute lethalia non sunt, nisi enormia & tanta, quibus textura ipsarum, & imprimis vasorum sanguiferorum adeo laceretur, ut succi earum vitales subito elabantur, aut solum in circulo suo penitus turbentur, sine quibus tamen vita ne per momentum continuari potest.

§. III. *A Caussis.*

Deinde etiam caussae ipsae antecedentes, & morbos producentes eorum eventus quam maxime manifestant, & quo vehementiores, graviores que fuerint, eo magis dubiam spem reddunt & eventum deteriorem. Ideo a contagiis malignis orti semper cum maiori periculo coniuncti sunt, eo, quod miasmata eiusmodi subtilissima & valde operosa a corporibus morbosis exeuntia, uti in aëre se maxime expandunt, & longe lateque diffundunt, ita intra corpus, per inspirationem & respirationem, aut quocunque alio modo admissa,

missa, ad intimiores usque recessus penetrant, humoribus intime se miscent, eoque ipso secundum indolem & motum suum, eosdem inquinant, movent, turbant, atque sic totam ipsorum temperaturam & crasin facile destruunt. Quibus accedit, quod omnium venenorum indoles & modus agendi non aeque semper pateat; aut si etiam perspecta, vis tamen & operatio nimis cita & subdola sit, adeo, ut & Medicum & aegrum praeter omnem opinionem saepe fallant, & stragem hominum subitaneam relinquant, uti è febrium malignarum & pestis ipsius truculentia satis superque constat; ut nihil dicam de venenis occultatis & clanculum acceptis, quorum effectus malignus saepe citius sequitur, quam aegrotare se sentiant miseri, aut de remediis debitis cogitare possint.

§. *IV. A Subiecto.*

Non minus de eventu facilius & certius iudicare potest Medicus, si corporis ipsius & partium affectarum rationem habet, utpote quarum respectu omnino periculum, vel maxime variare necesse

est,

eſt, quo magis ad vitam conſervandam neceſſa-
riae ſunt, aut ſuperando morbo pares, vel impa-
res fuerint. Periculoſiores hinc ſunt omnes mor-
bi, etiam leviores alias, ſi partem aliquam nobi-
liorem, ad vitae continuationem abſolute neceſſa-
riam occupant; & quo tenuior, vel vitioſa par-
tium ſolidarum textura, & humorum temperatura
fuerit, eo minus etiam morbis levioribus, multo
minus gravioribus reſiſtere ſufficiet. Vulnera vaſo-
rum ſanguiferorum, etiamſi enormia in partibus a
trunco magis remotis per ligaturas, compreſſiones,
cauteria, aut amputationes partis laeſae curari poſ-
ſunt; incurabilia tamen, imo abſolute lethalia
fiunt, ſi intra cavitates, vel viſcera ipſa contin-
gunt, ubi ne qurdem videri, aut vivente adhuc
vulnerato inveniri, multo minus ligari, aut ullo
modo conſolidari queunt. Eodem modo ſe res ha-
bet cum vulneribus gulae, & aſperae arteriae magnis,
& in parte intra thoracem magis abſcondita factis,
ubi remedia debita nullo modo applicare licet, &
tamen abſque iiſdem per naturam reſtitutio &
conſolidatio expectari nequit.

CAP.

CAP. II.

De

Praesagiis ab actionibus vitalibus earundemque laesionibus petitis.

§. I. *Praesagia.*

Diximus, quod non ex uno vel altero, sed pluribus demum signis undecunque petitis, & collectim sumptis, Medicus aliquid certi de eventu morborum praedicere possit & debeat. Igitur iam ex actionibus, seu motionibus vitalibus ita dictis quid in aegrotantibus colligi possit, nunc videbimus.

§. II. *A Pulsu.*

Prae caeteris autem hic corporis aegrotantis vires, & robur vitale, id est sanguinis ipsius integritatem & circulum naturalem attendere

dere neceſſe eſt, utpote a quo unice vita, & vires vitales dependent, quemque morbis afflictum & labefactatum reſtituere contendimus omnes. Atque huius fidiſſimus & optimus teſtis pulſus eſt; motus ille cordis arteriarumque *conſtrictorius & dilatatorius ab ipſius fluidi ſpirituoſi vi elaſtica excitatus & ſuſtentatus*, quo mediante etiam ſanguis iſte a corde per univerſum corpus diſtribuitur, rurſusque ab eodem perpetuo circuitu recipitur, non niſi cum ipſa vita ceſſando: Quamdiu igitur pulſus iſte naturali ſimilis, non fortis nimium, nec debilis, celer vel tardus, nec inaequalis obſervatur, tamdiu quoque fluidi iſtius vitalis circuitum bene ſuccedere, indeque morbis quicuscunque reſiſtendis ſufficere colligimus. Sed debilis, tardus, & inaequalis, vel plane per intervalla aliquot remittens in morbis tam chronicis, quam acutis, omen ferale exhibet, praecipue ſi diu durat, & cum aliis ſignis malis complicatur. Imo & in ſanis atque orthoſtadiis periculi malique augurii plenus eſt, ni-

ſi forte ex vitio quodam particulari & leviori arteriae pulſantis contingat. Nec quidem pulſus admodum magnus, fortis, & citatus, tutus eſt, cum virium quidem robur, ſed eo maiorem morbi impetum, ſanguinis circulum graviter turbatum & impeditum oſtendat. Tamen in languido, tardo, & inaequali, aut per intervalla digitis ſe ſubducente, plus adhuc periculi eſt, eo quod non ſolum morbi magnitudo, ſed & extremus virium lapſus, aut quod idem eſt, ſanguinis motus, tam inteſtinus, quam circularis fere extinctus exinde pateſcant. Qui frequenter, & fortiter abſque cauſſa manifeſta exſolvuntur, i. e. ceſſante pulſu, lipothymiis corripiuntur, illi de repente moriuntur, iudice iam Hippocrate *Lib.* 2. *Aphor.* 41.

(Regula eſt quoad pulſum, quae in morbo qualicunque nunquam, ni fallor, fefellit; ubi pulſus dureſcit & fit frequentior, morbi vis & periculum certo creſcunt; ubi vero molleſcit pulſus & rarior evadit, morbus ſane re-

remittit, & omnia fausta iam sperari possunt.)

§. III.

Attamen scire quoque convenit, quod pulsus etiam ex levioribus caussis extraneis, e. g. laesione arteriae particularis in artubus, item animi pathematibus subitaneis, flatibus, aliisque facile interturbari & mutari possit, sine notabili detrimento. Ita in senibus non solum, sed etiam iunioribus, hypochondriacis imprimis, hysstericis, aliisque, eiusmodi mutationes pulsus non raro observantur absque insigni vel virium, aut valetudinis dispendio; saltim ut cor in illo fluidi spirituosi deliquio, quo pluribus sufficiat ictibus validе exequendis, unum vel alterum mutet, aut intermittat. E contrario optimus etiam pulsus in morbis acutis, imprimis malignis, interdum fallit; (*a*) quandoquidem vires, licet

(*a*) (Loqui de peste, summo, maligno morbo, loqui

cet fortes, morbi tamen maioris, aut nimis ſubdole ingruentis impetus ſuperare nequeunt. Adeo enim in illis omnia ſuſpecta ſunt, ut quando blandiuntur, ſaeviſſima ſaepius alant ſymptomata, aegroſque iugulent: ubi pulſus bonus, urina bona, aeger tamen moritur, uti loquitur Hippocrates (*a*). Unde etiam ad hoc iudicium rite prudenterque ferendum opus eſt, & quidem a parte Medici, ut non ſolum pulſuum omnium differentias, & gradus probe cognitas, uſuque comprobatas habeat, ſed & in ingreſſu ad infirmum non ſtatim pulſum tangat, ſed allocutione prius amica, & indagatione circumſtantiarum, eundem tranquillum

---

qui nequeo, ſed audacter aſſerere poſſum, pulſum nunquam eſſe *optimum* in aliis morbis malignis, & neminem, ex morbo acuto, cum *pulſu optimo* unquam mortuum eſſe, ſed & vires, licet fortes ante morbum, morbo ingruente protinus cadunt.)

(*a*) (Quoad pulſus parum reſpiciendum eſt ad auctoritatem Hippocratis, qui non multum de pulſu curavit.)

lum reddat, deinde demum pulſum non uno, ſed pluribus, pro exigentia rei, locis, exploret digitis modo comprimendo, modo eodem ſuſpendendo. A parte vero aegri, ut ab omnibus animi pathematibus liber ſit, manus in debito ſitu & ab omni motu alieno liberas ſervando. Vel ut Proſper Alpinus L. 4. de Praeſagienda Vita & Morte C. 4. omnes Medicos medicinam factitantes rogat, ne pulſus aegrorum tangant, niſi prius cauſſas procatarcticas, ſeu praegreſſas intellexerint, quales ex iis pulſus fieri ſolent, atque corpus eorum ab omni prorſus alteratione animi vacuum ſit.

(Ad prognoſim facit quoque multum ſenſus horroris, cuius cauſa prima ſedet, in nervis, quibus cum mox concurrit quoque ſyſtema vaſculoſum: horror indicat ſemper aliquid nocivi adeſſe, ſed e variis horroris circumſtantiis praeſagia eruuntur aut bona aut mala. Tres characteres iam ab Hippocrate, Galeno, aliiſque optimae notae medicis indicantur utilis horroris, nimirum ut ſit validus, ut ſubſequatur calor,

de-

demum ut ſuccedat aut ſudor aut aliqua alia evacuatio ; conſtat enim tum ex valido horrore , tum & ex ſubſequente calore , & validam eſſe naturam , quae fortiter in hoſtem inſurgat , & conſensum eſſe inter ſyſtema nervosum & vaſculoſum ; probat demum ſubſequens evacuatio non irritos fuiſſe naturae conatus , ſed partem nocivae materiae expulſam fuiſſe ; optimi quoque horrores, qui in diebus iudicatoriis eveniunt cum ſignis concoctionis ; ſpem enim faciunt criſes feliciſſimas opportuno tempore eventuras.

Mali praeſagii , e contra , illi horrores , qui & invalidi ſunt , nec calore excipiuntur , nec ſalubri evacuatione ; indicant enim tantum & hoſtilem adeſſe materiam , & debiles eſſe vires vitales , aut turbari conſenſum inter ſyſtema nervoſum & vaſculare.

Pravi quoque ſunt ſaepe horrores interni ; dum enim ex horroris ſenſu demonſtratur adeſſe ſpeciem obſtructionis aut ſtricturae in parte , quae horrore concutitur , eo peior horror quo nobilior illius ſedes.

Periculoſus ille, quem ſequuntur malae evacuationes, periculoſus quoque ille, qui ſequitur evacuationes; demonſtrat enim evacuationibus minime minui morbi cauſſam.

En praecipua praeſagia ex horrore in morbis in genere; quis bene intellexerunt fundamenta illorum praeſagiorum facillime intelligent quaenam prognoſis in variis morbis, e variis horroribus eruenda ſit. Ad omnes illas prognoſes multum iam attendebant veteres medici, & perplures utiliſſimos apud Hippocratem invenietis aphoriſmos qui huc omnino faciunt, totamque fere hanc doctrinam abſolvunt.

§. *IV. A Reſpiratione.*

Sed progredimur iam ad reſpirationem, quam non minus ad praedictiones ſalutis vel mortis utilem, imo maximè neceſſariam eſſe, vel exinde iudicare licet, quoniam ab eiusdem integritate motus cordis & arteriarum, ipſiuſque ſanguinis inteſtinus & circularis ſuſtentatur,

ſine eadem vita ipſa continuari poteſt ; ne dicam , quod non aeque ac pulſus a levioribus cauſſis immutetur : quae forte etiam ratio fuit , quare Hippocrates longe plura de reſpiratione , quam de pulſu tradiderit, ad prognoſis certitudinem facientia. Adeoque in omnibus morbis . praecipue tamen acutis , ubi prae caeteris his prognoſticis opus eſt , reſpiratio libera & facilis perquam magnam vim ad ſalutem aegri ſperandam habet , eo quod cordis aeque ac pulmonum reliquorumque organorum reſpirationi inſervientium ſanitatem, conſequenter liberum fluidi vitalis motum manifeſte oſtendat. Magna vero & frequens in iſtis acutis indicat quidem organorum iſtorum integritatem , ſuccique nervei impetum fortem , ſed motum contra ſanguinis ibidem valde impeditum , adeoque periculum eruptionis , inflammationis , ſuffocationis, convulſionis aliaque mala , niſi cito mutetur & reliqua meliora fuerint. Multo magis autem ibidem horrenda eſt reſpiratio magna & rara ſeu ſuſpenſa , vel ex longis intervallis repetita : nec

non

non inaequalis, magna ſcilicet inſpiratio, & parva exſpiratio, vel contra, quo maior exin-de organorum laeſio, circulique vitalis ſuppreſſio pateſcit. Quo etiam pertinet praefocans ea, quae aegrum neque ſupinum, neque pronum eſſe ſinit. Tandemque reſpiratio parva & crebra, vel rara, modo ſublimis, modo duplicata, eaque frigida ex iiſdem fundamentis in morbis quidem acutis ſolum praeſentaneam mortem, in chronicis tamen etiam gravitatem cauſſae & periculum indicant. (Non ſufficit vero, praeſertim in malignis, interrogare aegrum de reſpiratione; ſaepe enim in his morbis ſine aegri ſenſu laeditur, ſi vero ad pectoris motum attente reſpicit Medicus, protinus iudicabit an laeſa an integra ſit haec functio; illius vero laeſione percepta inquiret num a virium defectu, a pulmonum vitio, a frequentiori pulſu, aut abdomine aegrotante oriatur; hae ſunt enim cauſſae, quae frequentius, in acutis, reſpirationem turbant.)

(Ad prognoſes quae reſpiciunt vitales functiones referri quoque poſſunt illae, quae eru-

untur ex ſtatu praecordiorum ; praecordia , vero dicuntur haec regio , quae incipiens paullo ſupra baſim cartilaginis xiphoideae , fere ad umbilicum deſcendit , & utrinque ad utrumque latus extenditur , ſicque concludit ſcrobiculum cordis , totam regionem epigaſtricam , & maximam hypocondriorum partem ; inde intelligitur quot & quam momentoſae partes in praecordiis lateant ; hic in vicinia ſtat ipſum cor , & pars infima pulmonum , hic adhaeret diaphragmatis pars muſculoſa , adſunt maxima pars hepatis , & ventriculus totus , & praeſertim in centro cardia pars adeo ſenſibilis , hic tranſeunt maxima corporis vaſa , adſunt arteriae coeliacae , adſunt etiam , in parte poſteriori & pancreas & non parva coli pars . Non mirum ergo ſi quoties laeduntur praecordia , pars ſane nobiliſſima , periculum inde ſaepe adeſſe iudicetur , & ſaepe queruntur de ſcrobiculo aegri ; nunc ſenſum tantum ingratum , nunc dolorem acutum , nunc ſenſum ſtrictiurae , nunc tumorem accuſantes ; ſed ſedes eſt praeſertim inquietudi-

tudinis & anxietatis, quae frequentius ſedet in regione epigaſtrica quam in ipſo pulmone, & quoties male afficitur mox quoque ipſa afficitur reſpiratio, mox turbatur motus cordis; & ipſum cerebrum; non mirum ergo ſi ad ſtatum huius partis tam attente reſpexerint Veteres, & praeſertim Hippocrates; & ſane quoties in acutis, praeſertim putridis & malignis optime ſe habent praecordia, utiliſſimum eſt ſignum; ubi vero iam laeduntur, periculum ſane grave imminet, & in cauſſas illius laeſionis ſedulo indagandum eſt.)

§. V. *Ab Appetitu.*

Sed his quidem praecipuis ita animadverſis opus quoque eſt, ad reliquas functiones vitales reſpicere, (a) & ex iis utilia praeſagia ſume-

 re:

(a) (Quae ſequuntur functiones, naturales dicuntur a pleriſque pathologis; maleque hic ad vitales referuntur.)

re : appetentiam igitur & faſtidium ciborum porro contemplari oportet ; in omni enim morbo ſalutis nota eſt , cibum potumque moderate appetere aegrum ; & ad ea , quae eorum loco offeruntur , bene ſe habere ; his ſi quidem ſubſidiis , vires ſuccorum viſcerumque omnium vitalium maxime conſervantur , ut morbi cuiuscunque vehementiae eo magis reſiſtere queant ; ſed deficere prorſus appetitum in morborum tam chronicorum , quam acutorum principio & augmento quidem minus periculoſum , quoniam vires adhuc ſuppetunt , humores impuri morboſi eo facilius digeruntur , reſolvuntur , nullumque ex cibis minus digeſtis fomitem capiunt : corpora ſiquidem impura quo plus nutriuntur , eo magis laeduntur . Aſt morbis iſtis iam declinantibus & viribus deficientibus , ſi faſtidium illud penitus perdurat , periculo certe non caret , &, ad minimum, recidivam periculoſam minatur . Neque tamen appetitus nimis fortis & inſolitus tutus eſt , & in chronicis morbis ingentem humorum acrimoniam , adeoque immi-

nen-

nentem maiorem cachexiam, & ex hac oriunda plurima mala; in acutis vero cum aliis ſignis malis, delirium ipſamque mortem praeſagit.

In ſpecie ſitis inſatiabilis in ardentibus miam humorum acrimoniam aeſtumque oſtendit; ſed non ſitire in morbis iſtis acutis, ubi tamen cauſſae ſitis adſunt, eo magis periculoſum, quoniam exinde ſenſuum confuſio, &, ſi reliqua ſuſpecta, vitae periculum manifeſte conſtat.

§. VI. *A Vomitione.*

Sic in vomitionibus ſponte contingentibus rite diiudicandis prudenter ad cauſſas & morbos cohaerentes, nec non tempus & excreta ipſa reſpicitur: ſi eadem reiiciuntur, quae moleſta erant & reiici debebant, ubivis bonum eſſe, ipſa ratio ſuadet. Pariter, quae a longo alvi profluvio cum aliis ſignis reconvaleſcentiae contingunt, vires & tonum inteſtinorum redire oſtendunt, illudque profluvium ſiſtunt. E con-

rario ſuſpectae, & quo vehementiores, eo periculoſiores vomitiones merito reputantur, quae cauſſam morbi non tollunt, quin potius augent: unde in paſſionibus colicis & iliacis, niſi ſimul alvus bene ſuccedat, imminentem inflammationem inteſtinorum; in cachexiis diuturnis imprimis vomitus ſanguinis, aliuſve corruptae nimium materiae, ipſorum viſcerum corruptionem gravem; in vulneribus & contuſionibus capitis & articulorum, cerebri & nervoſi generis laeſionem; in debilitate viſus, auditus, aliorumque ſenſuum, eiuſdem augmentum & eventum non raro triſtiſſimum portendunt.

§. *VII. Ex Alvi deiectionibus.*

Eodem etiam modo concludere licet ex alvi deiectionibus, habito rurſus reſpectu cauſſarum morborumque complicatorum, nec non excretorum ipſorum, quae ſi critice fiunt, & cauſſam morbi tollunt, vel ſolum imminuunt, in bonis naturae habendae ſunt, & contra: hinc

hinc deiectiones ſeroſae, viſcoſae vel bilioſae, in affectibus ab eiuſmodi impuritatibus oriundis, e. g. catharris, ophtalmia, cardialgia & ſimilibus, liberant. Neque cruentae hypochondriacis, & cachecticis ſemper nocent, modo reliqua conſentiant. Sed nimis aquoſae, ſeroſae, ſpumoſae, putridae, & foetidae in morbillis petechiis, nec non in phthiſicis, hecticis, & viribus alias exhauſtis, cauſſam malorum iſtorum tollere nequeunt, vireſque eo magis deſtruunt, indeque communiter triſtem eventum praeſagiunt: quemadmodum etiam illae deiectiones, quae praeter ſenſum rationemque ſubito & confertim fiunt in languidis, ſenſuum iam abolitionem, adeoque perniciem oſtendunt. (Lex eſt univerſalis, ab Hippocrate iam optime cognita, illas iuvare evacuationes, quas bene ferunt aegroti; ſi poſt ſingulas deiectiones melius ſe habet aeger, ſi molleſcit abdomen, rarior fit pulſus, inſurgunt vires, ſedatur ſitis, quietior eſt ſomnus, tunc, licet valde copioſae deiectiones, nunquam timendum eſt, & omnia fauſta ſperanda ſunt).

§.

§. *VIII. Ex Urinis.*

Sed longe plura praesagia etiam ex urina ipsa haberi possunt, quae nisi Medicus discernere & diiudicare potest, non immerito imperitus, & infelix ab Hippocrate reputatur. Etsi enim ineptum & absurdum valde sit, cum Medicastris quosvis morbos, nullo modo cum sanguine, vel urina communicantes, & quod eo magis absurdum, causas extrinsecas, aetates, sexus aliaque hariolari velle; propterea tamen nihil impedit, quo minus sanguinis, utpote ex quo lotium illud immediate secernitur, & multo magis viarum, per quas transire idem lotium debet, sanitas & morbi exinde iudicari possint & debeant: modo etiam, antequam iudicium suum ferat Medicus, de variis circumstantiis, nempe aetate, sexu, vitae genere, tempore decubitus, medicamentis adhibitis, tempore & modo excretionis, aliisque certus reddatur.

§. IX. *Ex earum ſubſtantia.*

Atque his cautelis ita obſervatis, omnino ex ſubſtantia, ſeu conſiſtentia, quantitate, colore & contentis urinae non pauca ſalutis aeque ac mortis prognoſtica colligi poterunt. Et quidem ratione conſiſtentiae urinae craſſae, denſae & faeculentae, cuiuſcunque coloris, in morborum augmentis & decrementis copiam quidem ſalium & impuritatum in corpore, aſt eorum feceſſum ſimul, adeo nihil periculoſi, quin potius ſalutem praeſagiunt, modo reliqua conſentiant. Ex ea ratione urinae primum tenues, deinde per ſe, aut poſt adhibita remedia craſſiores redditae, in febribus tam intermittentibus, quam continuis, nec non malo hypochondriaco, ictero, ſcorbuto, calculo, arthritide, affectibus ſoporoſis aliiſque ſemper bonum eventum promittunt; contrariae vero malum. Nempe tenues, albae, vel rubicundae a corporibus eiuſmodi morboſis cacochymicis ſi redduntur, docent impuritates retineri, inde-

que

que nisi in crassiores mutentur, in omnibus illis morbis, imprimis vero acutis & malignis, ingens periculum, imo mortem cum aliis signis malis praedicunt: quam in rem etiam plurima prognostica ab Hippocrate in Coacis Praenotionibus & commentatore eius Galeno collecta habemus.

§. X. *Quantitate.*

Non minus a quantitate urinae aliqua praesagia petere licet, habito rursus respectu aetatum, temperamentorum, vitae generis, remediorum & similium. Cum enim quantitas urinae naturalis minor quodammodo esse debeat, respectu ingestorum liquidorum, propter partes illas, quae in nutrimentum facessunt, aut per alias vias diarrhoea, sudore, transpiratione vel salivatione prodeunt; ideoque si his naturaliter se habentibus, nihilo secius maior urinae copia, quantitatem assumptorum liquidorum longe superans, excernitur, post eiusdem suppressio-

nes quidem, uti fit in cachecticis, hydropicis, & nephriticis, ſolutionem, & ſalutem promittit; minus vero, ubi haec indicantia deficiunt, in corporibus alias tenerioribus, viribus exhauſtis, ſiccis, hecticis, phtiſicis. Sed praeter naturam deficiens, aut plane ſuppreſſa urina ſerum illud in viis ſuis a calculis, carunculis, vel aliis obſtaculis intercipi, aut ad alia loca decumbere monſtrat, quod utrumque malum: in acutis vero aliiſque praecipitibus malis interceptiones tales cum aliis ſignis funeſtis convulſiones interiores, apoplexiam vel mortem afferre ſignificant, iudice iam Hippocrate *L.* I. *Pronoſt.* 120. *Coac. Praegnot.* 475. 592.

§. *XI. Colore.*

Verum maiores adhuc ad recta praeſagia vires habent urinae, ſi colores, & contenta earum ſimul attenduntur. Nam uti color ſubaureus, vel citrinus cum ſubſtantia mediocri, & ſedimento albo, & levi naturalem digeſtionem tem-

temperiemque ſanguinis oſtendit, & in omnibus ſanis deprehenditur; ita, quo magis ab hoc colore recedunt illae, abſque cauſſis aliis manifeſtis, & in morbis alias magnis, acutis, & periculoſis, eo minus ſalutarem eventum ſperare licet, niſi critice excernantur, & meliores paullo poſt ſequantur. Hinc urinae pallidae, & aquoſae, nec non pallidae, & craſſae in morbis ſemper calorem, & digeſtionem ventriculi reliquorumque viſcerum debilem, ſuppreſſum, indeque cruditatum copiam manifeſtant, & in chronicis quidem, praecipue tenues, propter obſtructiones viſcerum, & retentionem cruditatum diuturnitatem ſolum aegritudinis, in acutis vero etiam mortem praeſagiunt, ſi caetera fuerint paria. Sed rubicundae eo fortiores motus aeſtuſque inteſtinos indicant, & ſi abſque febribus tales, imprimis craſſae, redduntur, ut ſaepe fit in ſcorbuticis, & hydropicis, viſcerum depurantium labem, & corruptionem communiter in receſſu habent, nec periculo carent. Rubicunda quoque, & turbida, ſeu quae poſt emiſſionem

cito

cito praecipitatur, & clarescit, propter facilem secessum impuritatum, semper meliorem eventum & breviorem liberationem testatur, quam rubicunda, & tenuis, flammea, sanguinea, quae si in statu, & summo gradu febrium acutarum cum aliis signis malis perdurat, mortis quoque imminentis notam exhibet. Omnium tamen magis exitiosae sunt urinae livescentes, & nigricantes in iisdem morbis acutis, & chronicis, ob ingentem sanguinis eiusdemque seri degenerationem, & corruptionem, quae exinde patescit, nisi forte critice, aut ob caussam quandam extrinsecam, usum nempe martialium, & similium, tales fiant. Urinae nigrae tenues, & paucae in febribus acutis lethales, iudice Hippocrate *libr. I. de morb. vulg. Coac. praen.* 580. Item nigra in biliosam tenuem transiens pernicioſa, *ib.* 578., utraque enim mala est, nec crisis exinde sperari potest.

§.

§. XII. Contentis.

In ſpecie contenta ipſa naturalia urinae, uti organorum huc facientium integritatem, ſanguinisque digeſtiones, & ſecretiones legitimas oſtendunt; ita e contrario mucoſa, craſſa, exceſſum cruditatum viſcidarum, acidarum; ſabuloſa, ſive cretacea, ſive laterina copiam recrementorum ſalinorum & terreorum; ſanguinolenta, & purulenta eroſionem vaſorum in viis urinariis produnt; quae viſa, prout magis vel minus excedunt, & cum morbi magnitudine aegrique viribus prudenter conferuntur, medicum omnino de eventu quocunque fideliter monere ſolent: ita urinam cruentam in laterum doloribus, id eſt, pleuritide, & peripneumonia, nec non variolis, morbillis, petechiis, peſte aliisque acutis ut plurimum lethale ſignum dare, Hippocratis, & communis Medicorum experientia teſtatur. Prodit enim ingentem acrimoniam & reſolutionem ſanguinis, quae non niſi cum ſummo vitae periculo coniuncta.

(Ex his intelligitur quanti fit inſpectio urinarum in decurſu morbi, ſed videtur quoque hanc inſpectionem nullius uſus eſſe ſi non obſervantur ſimul omnia alia ſigna, ſi non adeſt ipſe aegrotus ; & apprime intelligitur merum dolum eſſe hanc uroſcopiam qua omnes morbos, omnes cauſſas morbi, ex ſimplici urinae inſpectione detegere ſatagunt nonnulli agyrtae, qui nullo defuerunt, nullo deerunt aevo, & quorum impoſturam iam optime noverat Hippocrates *Prorret.* L. 2. dum dicit, multae narrantur, & praeclarae, & admirandae praedictiones ex inſpectione urinarum quales ego quidem neque ipſas praedixi, neque alium quemquam Medicum praedicere audivi. Sed quomodo adeo craſſe falli poſſunt tot homines, plures adſunt rationes 1. Certo ex ſimplici urinarum inſpectione educi poſſunt, cum quadam probabilitate, nonnullae cauſſae morborum ; inflammatio, debilitas ventriculi, vitia hepatis. morbi nervorum, nonnulli morbi renum, & veſicae, febres intermittentes, febres putridae ; ubi unam ex his cauſſis adeſſe iudicat

Uroſcopus, ſumma cum garrulitate, & obſcuritate innumera deblaterat ſymptomata, quae ad genus morbi quod ſuſpicatur pertinent, & mirum ſane foret ſi inter tot ſymptomata nullum eſſet, de quo unquam queſtus eſſet aeger; ſimul ac vero pronunciavit nomen alicuius ſymptomatis quod expertus eſt aeger, naſcitur ſubito, confirmatur potius, haec ſtulta fiducia, quae nititur etiam, & forſan praecipue, hoc amore portentoſi, miri, ſtupendi, qui innatus videtur omnibus humanis pectoribus; quoties mira res narratur credit quisque, quia quisque credere amat; tertia praecipue cauſſa complectitur omnes nec paucas illorum nugivendulorum aſtutias, quarum perplures enarrare non dedignati ſunt, & graves, & docti Medici; narrant aegris nimirum illi impoſtores ea ipſa, quae didiſcerunt ab aegris nimis parum cautis, qui mox miram agyrtae ſagacitatem obſtupeſcunt. Cavere ergo debet Medicus, ne credat unquam hiſtoriam morbi in urinis legi poſſe; nec mirandum tamen ſi id credant non modo vulgaris turba,

ſed

ſed etiam homines omnium ordinum & ii ipſi qui meliora doctos fuiſſe debuiſſent.)

§. *XIII. A Sudore.*

Progredior autem ad ſudorem, cuius modum, quantitatem, qualitatem, & ſubiecta quoque conſiderare oportet. Salutaris enim ſolum eſt, qui fit in morbis a denegata tranſpiratione, & copia ſeri in ſanguine oriundis; isque criticus morbo & viribus aegri proportionatus, tepidus, non ſolum in extremitatibus, ſed univerſo corpore, & cum εὐφορίᾳ erumpens: ſed ſudor frigidus, interruptus, paucus, vel largus in extremitatibus, vel etiam toto corpore apparens motum ſanguinis inteſtinum, & progreſſivum propemodum ſuppreſſum, ſerique eius feceſſum, adeoque in morbis acutis, & malignis, concurrentibus maxime aliis ſignis funeſtis, mortem; in aliis vero mitioribus tamen, longitudinem, & ſi diutius perdurat, non minus vitae periculum denunciat; imo etiam tepidus, ſed

nimius, & continuo, cum repentina virium imbecillitate, dimanans in istis morbis, ob impetuosam sanguinis resolutionem, praesentaneum vitae periculum habet.

§. *XIV. Ab Haemorrhagiis.*

Pertinent huc haemorrhagiae pariter a tempore, quantitate, qualitate & loco eruptionis aestimandae, consideratis etiam simul natura morbi, aegri temperamento, consuetudine aliisque. Tales siquidem in plethoricis sanguineis, calidioribus, vini potatoribus, obstructionibus viscerum obnoxiis, & similibus non solum vere, sed aliis quoque temporibus, a natura per nares, vel alia loca apta, excitatae, nec nimis largae, nec nimis parcae, a multis morbis praeservant, & ex his causis egrotantes quoque liberant. Ast vero haemorrhagiae nimiae, citra illas causas, & indicantia, inconvenienti tempore, modo, & loco ortae, semper exitium portendunt, brevius, vel tardius, prout morbus magis

gis, vel minus urget, & vires corporis reſiſte-re valent. Neque haemorrhagiae nimis parcae, & per ſtillicidium ſolum factae quicquam pro-deſſe poſſunt, potius ſanguinis grumeſcentiam, ſtagnationem, viriumque imbecillitatem, & in acutis infallibile exitium portendunt. (Si adeſt ſitis, & ſi ſedetur poſt haemorrhagiam, optimum eſt ſignum, inde enim demonſtatur haemorrhagiam fuiſſe vere criticam ; quod in ſe ipſo verum in-venit Proſper Alpinus).

§. *XV. Ab Haemorrhoidibus.*

Eodem modo ſe res habet cum haemorrhoi-dum fluxu, qui in multis cachecticis pro con-ſuetudine per intervalla certa fluit, & a variis morbis praeſervat, vel etiam liberat : ſed ſi praeter illam conſuetudinem in iiſdem aegrotan-tibus, vel nimium, vel plane non ſuccedit, eadem mala poſt ſe trahit.

§. XVI. A Tumoribus & Abſceſſibus.

Demum de abſceſſibus, & tumoribus ita iudicandum: ſi tales, humoribus ſatis digeſtis, praecedentibus & coniunctis aliis ſignis ſalutaribus, loco convenienti, & confertim erumpunt, in morbis quibuscunque, praecipue acutis, & malignis, omnino ſanguinem ab onere, & aegrum a vitae periculo liberant; minus vero qui morbo adhuc crudo, in parte minus apta, inter graviora ſymptomata ſaltim apparent, non maturantur cito, potius retrocedunt, vel rurſus evaneſcunt, indeque cauſſae tollendae, vel ſolum minuendae non ſuffrciunt. (De miliaribus, & petechiis pauca addam; miliaria ſunt aliquando critica in febre ſuae ſpeciei, ut ereſypelas eſt criticus in febre ereſypetaloſa; tunc de miliari eruptione vera ſunt, quae praedicantur de variolis, rubeola *&c.* Petechiae nunquam ſunt criticae, nulla febris eſt eſſentialiter petechialis; & de petechiis, ut & de miliari eruptione ubi ſymptomica eſt, dici poteſt illas nihil fere ad prognoſim facere, & ad illas parum reſpicere debere Medicum).

CAP.

CAP. III.

De

Praesagiis ab actionibus animalibus & rationalibus, earundemque laesionibus collectis.

§. I. *Praesagia a sensibus internis.*

Non minus porro a sensibus tam internis, quam externis solitariis, ut in brutis, sed cum ratione etiam coniunctis, deinde quoque motibus corporis voluntariis & involuntariis, plus minus integris, vel laesis, praesagia vitae & mortis desumere licet. Etiamsi quidem hae functiones earundemque organa immediate ad vitam conservandam non faciant, arcto tamen nexu adeo inter se cohaerent, ut suam inter se, uti sanitatem, ita aegritudinem semper communicent, consequenter etiam testentur. Hinc in quovis morbo sensus internos bene valere, & mente constare, bonum est, iuxta antiquissimum

illud Hippocratis *Lib. II. Aphor.* 33. Neque tamen quaevis aberratio, vel delirium ſtatim funeſtum reputandum, modo non ſit continuum, ſed interruptum, & cum aliis ſignis ſalutaribus, imprimis imminentis criſis, coniunctum; hac enim feliciter ſive per haemorrhagiam, ſive ſudorem, diarrhoeam aliasque evacuationes ſuccedente, ſpiritus animales in cerebro exinde turbati, facile in ordinem redeunt: ſed deliria continua cum difficultate ſpirandi, ſingultu, voce tremula, sopore, convulſionibus & ſimilibus gravioribus ſymptomatis, ſummam quoque cerebri afflictionem, adeoque in praecipitibus morbis praeſentaneum vitae periculum oſtendunt: longeque periculoſius eſt, ſi aegri, iudicio amiſſo, neceſſarios & domeſticos non agnoſcunt, corpus ſine pudore denudant, feſtucas & floccos e ſtragulis colligunt, & rerum alias neceſſariarum obliviſcuntur. Tandem nulla ſpes ſupereſt, quando inter haec neque vident, neque audiunt, extremis frigescentibus & liveſcentibus.

§.

§. II. *A Somno & Vigiliis.*

In ſpecie ex ſomno & vigiliis concludi po-
teſt; ſi ſomnus moderatus & quietus excipit in-
quietudines, vigilias, dolores, deliria & con-
vulſiones, ſemper indicat, ſpiritus animales &
mentem ipſam ad tranquillitatem redire, inde-
que bene ſperare iubet. Sed modum omnem
excedens, isque cum pulſu debili, delirio &
extremis frigeſcentibus, ubivis lethalis eſt; mul-
to magis in febribus acutis, malignis, cum do-
lore praecordiorum, laterum rigore, tuberculis
iuxta aures, aliisque ſymptomatis pravis, ſtipa-
tus, ſecundum Hippocratem *Lib.* II. *Aphor.* 1.
& *Praenot. Coac.* 60. 348. 497. Siquidem cir-
culus ſuccorum tunc propemodum deficit, ipſum-
que cerebrum ſiderationem patitur. Sed uti ſo-
mnus ſine modo continuatus, ſic etiam nimiae
vigiliae malum ſignificant; hae enim uti a tur-
batione & confuſione humorum ſpirituumque
oriuntur, ita eandem magis augent, deliria, con-
vulſiones aliaque mala promovent, vires deſtruunt,
& ſic viam ad interitum ſternunt. §.

§. III. *Ab Insomniis.*

Alia etiam praesagia vitae vel mortis ex insomniis capiuntur: & certum omnino est, quod insomnia, quo frequentiora magisque molesta aegris contingunt, eo quoque maiorem circuli in succis vitalibus turbationem & afflictionem significent: unde ex insomniis de rebus ardentibus aliisque terribilibus, acredinis & aestus ingentis in succis vitalibus; ex impotentia erigendi se, aut ambulandi, item ex lapidescentia & stupore in artubus, stagnationis & defectus eorum coniecturae non prorsus vanae colliguntur, modo insomnia animalia a naturalibus istis probe distinguantur & alia signa coniungantur (*a*).

§.

(*a*) (Paullo nimis, ni fallor, somniis tribuit Cl. Auctor; raro de insomniis in acutis morbis queruntur aegri, nec memini me ullum unquam vidisse, a cuius somniis quidquam ad prognosim utile deducere potuerim, sed somni perturbati sunt potius pravum symptoma non lethale tamen).

§. IV. *A Viſu & Auditu.*

Sed certiora adhuc etiam e ſenſuum reliquorum valore, vel defectu haberi poſſunt. Antea ſiquidem iam ex Hippocrate *Lib.* IV. *Aphor.* 49. monuimus, quod in febre non intermittente, ſi aeger neque videat, neque audiat, debilis iam exiſtens, mors prae foribus ſit. Ita ſola ſurditas, quae evacuationes varias, haemorrhagias, vomitus aeruginoſos aliaſve ſequitur, non ſolum delirium & convulſiones, ſed etiam cum viribus ſimul langueſcentibus mortem praeſagit, conſentiente eodem Hippocrate III. Epid. II. *Coac. Praeſag.* ſ. 2. t. 10. *v. Praeſag.* ſ. 2. t. 27. & *l. Pror.* 10. 32. Cavendum autem, ne lethales eiuſmodi laeſiones ſenſuum cum perturbationibus criticis confundantur, utpote quibus per haemorrhagias aliaſque evacuationes factis, etiam ſenſuum vigor redit, iuxta *Lib.* V. *Aphor.* 28. & 60. Id quod etiam de tinnitu & ſibilo aurium valet (a). §.

(a) (Surditas in acutis, variis temporibus & varias ob

§. V. A Tactu.

Pariter dolores quicunque partium in febribus acutis, ſi inſtante criſi, & cum aliis ſignis bonis contingunt, tantum a turgeſcentia, & motu illo critico humorum dependent, & cum eodem rurſus ceſſant; ſed qui citra ſpem criſeos, & cum aliis ſignis perniciosis vehementer urgent, in partibus praecipue interioribus & nobilioribus, arguunt ingentes earum roſiones, tenſiones, inflammationes & imminentem gangraenam, vel corruptionem, idque eo magis, ſi dolores iſti abſque cauſſa manifeſta, & citra levamen aegri, ſubito evaneſcunt, ex quo circulum ſuccorum vitalem ibidem oppreſſum, & ſenſum abolitum colligere licet.

(Ex

---

ob rationes ſupervenit, & vix ullam certiſſimam prognoſim praebent; plerumque tamen ſi accedit dum creſcit adhuc morbus, gravioraque fiunt omnia ſymptomata, pravi eſt ominis, ſi accidit vero quo tempore mitescere incipiunt pleraque alia, fauſtum exitum praeſagit).

(Ex colore aurium praesagia quoque deducuntur; ubi cum frigore marcescunt aures in decursu morborum, pessimum est signum, inde enim arguitur omnino iam desinere vim circulationis; rubor subitaneus e contra delirium imminens aliquoties indicavit; & sane in maniacis, ex isto rubore, custodes saepe novum furoris paroxismum praedicunt).

§. *VI. A Motibus corporis.*

His sensuum laesionibus succedunt motus corporis praeternaturales & spasmodici, qui quidem per se plus saepe terroris, quam periculi habent. Sed in morbis acutis, ubi his prognosticis imprimis opus, uti antea aliquoties monuimus, aliter iudicandum. Neque tamen hic omnes convulsiones aeque periculosae sunt, sed graves, pertinaces, universales, citra omnem spem criseos, potius cum aliis exitiosis symptomatibus affligentes: quo pertinent etiam praefagia illa Hippocratis. In acutis febribus con-

vulſiones & circa viſcera dolores fortes malum, *Lib.* IV. *Aphor.* 66. Ubi ſanguis multus fluxerit, convulſio & ſingultus ſuperveniens malum, *Ibid.* *Aphor.* 3. A vomitu, nec non ab ileo & vomitu, convulſio, ſingultus & deſipientia lethale, *Lib.* VII. *Aphor.* 3. 10. & 41. In vehementi & furioſa mentis emotione tremores accedentes exitio ſunt, *Lib.* I. *Prorrhet.* *T.* 3. 14. 32. Qui mente aberrantem, ſuperveniente tremore, certo moriturum affirmat, non fallitur, *ibid.* *T.* 57. Poſt oculorum perverſionem in febre laborioſa, rigor ſuperveniens mortem fatetur, *ibid.* *T.* 24. Si rigor inciderit, febre non intermittente, & aegro imbecilli, exitialis, *Lib.* IV. *Aphor.* 46. & VII. *Aphor.* 7. A ſudore, horrores non boni, *Lib.* VII. *Aphor.* 4. Et in rigore familiares non agnoſcere peſſimum, *Coac.* *Praen.* 609. Et quae plura alia praeſagia in ipſius ſcriptis non ſolum habentur, ſed etiam toto die experientia confirmantur. Convulſiones ſiquidem iſtae praeter alia ſymptomata concurrentia indicant cerebri totiuſque generis nervoſi graviſſimam afflictionem & irri-

irritationem, cui corpus viribus iam exhauſtum, & nullis apparentibus ſignis digeſtionis, vel evacuationis materiae morbificae, impar neceſſario ſuccumbit. (Subſultus tendinum, qui convulſivus ſunt motus, adeo damnati a multis Medicis, ſaepe tamen, in variis morbis acutis, quorum felix eſt exitus, a primo initio, ad convaleſcentiam uſque obſervantur; ſicque non nimis reformidandi ſunt).

§. VII. A Decubitu.

Porro quoque ex ipſo decubitu aegrorum aliquid de futuris praeſagire poſſumus: hic enim ſi naturali quam maxime ſimilis fuerit, morbum mitiorem, cui ſuperando corpus minus gravatum ſufficere poterit, ſignificat. Neque inquietus decubitus & iectigatio anxia corporis ſtatim funeſta, modo caetera ſint meliora, & criſin aliquam ſperare liceat, utpote qua facta, quies ſua ſponte redit. Sed abſque eiuſmodi

ſi-

ſignis bonis aegros gravitatem corporis, pedum vel manuum increpare, nullamve decubitus formam ſervare, & modo erectos ſedere velle, modo ad pedes delabi, vel lecti ſtragula, velut ſarcinas colligere, triſtis eventus vaticinium exhibet.

(Optime hic Hippocrates deprehendendus eſt aeger in dextrum ſiniſtrumve latus cubans, brachiis, cervice aut cruribus paullum reductis, ac univerſo corpore molliter affecto, qui fere ſani quoque iacentis habitus eſt, quippe cum optimus ſit ille decubitus, qui a ſanorum conſuetudine non variat.

Sed non laudatur ſupinus decubitus, quo brachia, cervix & crura extenduntur.

Id vero gravius eſt, ſi ſe ipſum aeger continere non valens ad pedes ſubinde dilabitur.

Ubi pedes nudat, neque multus iis calor subeſt, ubi brachia, cervicem, ac crura inaequabiliter diſpergit ac nudat, mali morbi, angoriſque ſignum eſt, *Praeſag. l.* I. 16–20.)

CAP.

CAP. IV.

De

Signis salutis & mortis ex ipsius corporis habitu extrinseco desumptis.

§. I. *Praesagia ex facie.*

Tandem addi possunt praesagia ex habitu corporis extrinseco per morbos colligenda, in quo faciei praecipuus locus debetur : etiamsi enim haec citra morbos, a variis admodum causis extraneis quoad figuram, colorem aliasque qualitates toto die immutetur in hominibus; & e contrario in morbis chronicis, ubi ob viscerum obstructiones & corruptiones, mors saepe in propinquo est, facies nihilo secius a naturali colore non adeo recedit, imo magis rubescit. Aliter tamen se res habet in febribus acutis, ubi facies etiam rubicunda, si cum anxietate praecordiorum, difficultate spirandi, vi-

giliis, aliisque gravioribus symptomatibus coniungitur, internas inflammationes & phrenitidem lethalem portendit; praecipue si vultus tetricus & supercilioſus accedit, nisi forte crisis mox superveniens per haemorrhagiam, diarrhaeam, abscessus post aures, vel similes, eam solvat. Pessima vero in his morbis est facies ita dicta Hippocratica, (ubi nimirum, ut ipse scribit Hipp., nasus acutus, oculi cavi, tempora collapsa, aures frigidae & contractae, lobi auricularum distorti, cutis circa frontem rigida, contracta & arida, & color totius faciei subpallidus, niger etiam & lividus, aut plumbeus, *Praenot.*) ubi demum color totius faciei nimium a naturali subito recedit, tempora collabuntur, frons arescit, nares aureſque frigidae contrahuntur, & oculi in cavo subsident. Ex his enim omnibus motus sanguinis & reliquorum succorum sensim deficere, vireſque omnes vitales collabi, manifeste colligitur. (In convalescentia pariter si supereſt faciei languor, si oculi nitorem, cutis colorem & mollitiem non recuperant, metus est fa-

ſanè ne imperfecta ſit curatio, & aliquod ſubſit adhuc vitium; & Hippocrates tanti fecerat faciei inſpectionem, quam multi faciunt quoque omnes Medici, ut iam ſcripſerit, inquirendum autem hac ratione in acutis morbis, primum in faciem aegrotantis, utrum ſimilis ſit benevalentium faciei, aut ſibi ipſi, ſic enim eſſet optima; quae autem contraria eſt eadem & difficillima. *Praen. praefat.*)

§. II. *Ex Oculis.*

In ſpecie vero ex oculis ipſis quoque iudicium praeſagii, ſive boni, ſive mali venari poſſumus in morbis. Oculi enim uti valent, ita & corpus & contra; quoniam non niſi puriſſimo & optimo ſanguinis ſucco nutriuntur, & in nitore ſuo conſervantur. Quo ergo gravius laeditur & turbatur eius maſſa, eo quoque magis oculos affligi, & a ſplendore ſuo remittere neceſſe eſt. Sed tamen ante omnia indagandum, an mutationes in oculis a morbo iſto, quo decumbit

aeger, an vero ex aliis cauſſis accidentariis, externis vel internis, pendeant? Nam non hoc, ſed illo tantum caſu aliquid certi ad prognoſticum monſtrare poſſunt. Hinc oculorum rubedo, livor & nigredo, nec non caligo, protuberantia nimia, vel ſubſidentia, diſtorſio involuntaria, ferocia, palpebrarum quoque contractio, vel dilatatio, lacrymarum fluxus involuntarius, aliaque eiuſmodi inſolita, ex febre acuta orta, niſi antecedentibus ſignis digeſtionis, & inſtante criſi contingunt, ſemper periculoſiſſimum ſtatum, delirium, convulſiones & mortem ipſam praeſagiunt. Quo ſenſu etiam rurſus ſolum valent Prognoſtica illa Hippocratis: quicunque in febri continua muti iacent, clauſis oculis, ſubinde connitentibus, ſi quidem e naribus ſanguis effluxerit, & vomuerint, atque ex eo loquantur, & ad ſe ipſos redeant, ſervantur. Quod ſi nihil horum acciderit, in difficilem reſpirationem redacti brevi moriuntur, *Lib.* III. *Coac. Text.* 2. Si oculi lucem effugiunt, aut pervertuntur, aut alter altero minor fit, aut candidam rubedinem ha-

habeat, vel lividas aut nigras venulas; aut sublimes tumidive, vel cavi admodum fuerint, vel obtuti squalidi & sine splendore; haec omnia mala esse & exitiosa censendum, *Lib.* I. *Prognost. Text.* 14. 15. Oculi feroces, horridi & audaces, delirantium ac phreneticorum proprii, plerunque convulsionem accersent, aut mortem cum aliis signis malis, *Lib.* V. *Epid. t.* 15. *Lib.* II. *Prorrhet. t.* 31. In sebribus acutis oculorum perversiones semper malae. *Lib.* I. *Progn. t.* 15. In febre non intermittente si labrum, vel palpebra, vel supercilium, vel oculus, vel nasus pervertatur, vel non videat, non audiat, aegro iam debili existente, quicquid horum evenerit mors proxima est, *Lib.* IV. *aphor.* 46.

§. III. *A Lingua, & Faucibus.*

Non minus linguae, dentium & faucium inspectio, & observatio in aegrotis praesagia futuri eventus multum confirmant, aut ad minimum illustrant. Licet enim hae quoque partes

ci-

citra morbum aliquem gravem, a multis cauſſis extraneis ſaepe mutentur, & contra in morbis variis interdum parum vel nihil, aegris nihilo-ſecius pereuntibus; nihil tamen impedit, quo minus per morbum acutum enormiter mutatae partes iſtae quoque ad praeſagium confirmandum maxime conferant. Sane quamdiu lingua ſanorum ſimilis, calida, mollis, rubicunda, & conſtans in febribus, adhuc temperiem ſanguinis, & lymphae non penitus deſtructam eſſe ſignificat, & bene ſperare iubet; ſed vero nimis arida, aſpera, vel plane fiſſa, liveſcens, & nigreſcens, aut multo ſqualore obſita, & frigida, nimium ſuccorum a temperie naturali receſſum, indigitat, & cum aliis ſignis malis exitium praeſagit, omnium certiſſimum, ſi ſitis ſimul abeſt, ex quo praeterea ſenſus abolitio innoteſcit: ita ſi quis in eiuſmodi morbis acutis dentibus ſtrideat non conſuetus, inſania ſignificatur, & mors, ſecundum Hippocrat. *Lib.* I. *Prognoſt.* t. 21. utrunque enim, & convulſio gingivarum, & inſania oſtendit graviſſimam affectionem cerebri,

&c

& nervoſi generis, quae niſi per criſim aliquam cito ſolvatur, non niſi mortem ſecum trahere poteſt. Quemadmodum etiam in iſtis acutis, & malignis faucium ipſarum dolores, & ſtrangulationes, aut diſtorſiones, nullo tamen tumore apparente, ex eodem fundamento perniciosae ſunt, cenſente Hippocrat. *Lib.* I. *Praedict.* 2., *& Libr.* IV. *Aphor.* 35. (Attendere quoque iubent omnes Medici, & ad labia, & ad dentes. In acutis morbis aliquoties ſpecies contractionis, alias demiſſionis in labiis percipitur, quarum prima ſpaſmodicum, ſecunda paraliticum vitium denotat; pravi quoque ominis, & ſummus rubor, & praeſertim livedo. Quoad dentes, ubi lenta, viſcida, tenaci, fuſca ſorde ſqualidi ſunt, pertinacia gravitasque febris inde demonſtratur; creſcit morbus quam diu hae ſordes increſcunt; optimum eſt praeſagium ubi ſolvi incipit, humiditasque gingivis, nitor dentibus redeunt.)

§.

§. *IV.* (a) *Ab Hypochondriis, & extremis.*

Neque de nihilo eſt, in morbis eiuſmodi periculoſis etiam praecordia, hypochondria, & extremitates corporis conſiderare: illa ſiquidem, uti mollia, & aequalia, non adeo extenſa, neque contracta, viſcerum ibidem conſtitutionem adhuc ſalvam; ita e contrario dura, inaequalia, pulſantia, valde dolentia eorundem obſtructionem, inflammationem, & corruptionem imminentem manifeſtant, idque eo magis, ſi extrema ſimul algent, & liveſcunt, interiora vero uruntur. Confer Hippocrat. *Libr.* VII. *Aphor.* 1., *& Praenot. Coac.* 492. Sed haec in compendio iam adduxiſſe ſufficiat.

S. D. G.

(a) (Fuſius de hac materia egi ſuperius, attamen auctoris utilem Theſim ſervare debui.)

LOYE 88565

urun

r., &

pendio

(a) (Fusius de hac

auctoris utilem Thesim

LONDON 8565